

CAROLI NONI FRANCORVM REGIS VITA.

De eius Progenitoribus.

CAPVT I.

EX gente Capetia familiæ duæ clarent Valeſiorum & Borboniorum, ſed illi Auguſtiores, Galliæ enim imperát; horum egregia merita, quædam etiam ſecus admiſſa in rempublic. extant: Auus Caroli Franciſcus liberalium artium fautor, pater Hẽricus exactis Gallia Britannis clarus.

Maternum genus duxit ex medi-
ceis, familia vetere & honorata
apud Hetruſcos, ex qua orta eſt
Catharina Medicea ſplendidiſſi-
mina.

Caroli ortus.

Capvt II.

Carolus natus eſt in agro Pariſiorum prope ſequanam fluuium, vico modico cui nomen eſt (*S. Germain en Laye*) lalia, quinto calendas Iulias, anno à partu virginis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo hora quinta: Infanti nomen Maximiliano inditũ, quod ita placeret Maximiliano poſtea Cæſari & ſocero. Michaël Salonenſis Mathematicus inſpecta genitura predixit cruentum & infelicem principatum, nec euentus defuit.

Caroli regnum.

CAPVT III.

Annum agens vndecimum Francisci fratris hereditatem adijt qui ſine liberis deceſſerat; Quo die in Regem vnctus eſt, matri neganti eum poſſe per ætatem ceremonias ferre quæ multæ ſunt, *feram*, inquit, *nec recuſabo hunc laborem quoties ſe regna offerent.*

Bella ciuilia.

CAPVT IV.

Bella ciuilia ſub deceſſoris principatu nata ex odiis Guyſianorum & Memorãtiorum hoc Rege Galliam vaſtarunt, direptæ vrbes, incenſa oppida, vici exuſti; ferro, fa-

me, incendio quadringenta hominium millia periere.

Victoria Caroli.

CAPVT V.

Quater pugnatum eſt. In carnutibus ad acturam amnem cæſis duodecim hominum millibus. In conſpectu Lutetiæ Pariſiorum vbi Anneus Momorantius cecidit. In Santonibus ad Carantonum flumen interfecto Ludouico Borbonio partium duce; In Pictonibus ad Moncontorium oppidum, quo prelio ſex decim hominum millia profligata ſunt. Has victorias per legatos obtinuit, minuta vero prelia in ſinguli prouinciis, ſeditiones, cædes, rapinæ in omnibus penè cultis incultis ve Galliæ locis pro-

pter religionis cauſam fuere. Cum magna pars ciuium veteribus ſacris hęreret, alij ex Caluini diſciplina nouos ritus introducere conarentur; Quæ diſcordia omnium pernicioſiſſima amicitiæ & neceſſitudinis vinculum toto regno ſuſtulit.

Remedia aduerſus ciuiles diſcordias.

CAPVT VI.

Duobus remediis ad ſedandos regni motus vſus eſt, clementia & ſeueritate: pacem enim cum rebel-
gnum cædis, ciues quod mãdatum
erat faciunt, cæſis omnibus Calui-
libus pactione pepigit, renouato veteri exemplo Athenienſium legis amniſtias ſeu obliuionis: eoſdem fortunis, ſedibus, ac honoribus re-

ſtituit: Nihil inde tandem conſequutus quàm odium ſuorum, nam ſæpius ignoſcendo ſeruis, auxit eorum inſolentiam, vt imperata facere nollent, & leges darẽt domino ſuo verius quam acciperent.

Clades Pariſienſis.

CAPVT VII.

Cum vero deſperatus morbus anxiam & periculoſam curationem requirere videretur, nec aliter ſanari poſſet quam aſtu & ſæuitia, aſtum pręmiſit per ſpeciem nuptiarum Margaretæ ſororis & Henrici principis Bigerrionum; Conuenere etiam factionis duces, nobiliſſimus quiſque & audaciſſimus centurio honoraturi principem rebus ſuis fauentem, paratis nuptiis, cum

iam discessuri viderentur, rex die festo Bartholomei prima luce dat signianis qui in vrbe reperiri potuerunt, Rex ipse tragædiam ex arce letus animi spectabat. Gaspar Colinius fax, & incendium patriæ aliquot vulneribus confossus perijt. Interfectorũ numerus ad tria millia cadauerum in profluẽtem sequanam vnco tracta sunt. Hæc clades incidit in diem octauum calend. Septemb. anno 1572. Aliquot diebus post ad furcam publicam ijt cõspectum Colignii cadauer quod pedibus pendebat, seruis fœtorem non ferentibus, *hostis mortui bonus est odor*, inquit.

Literæ eius ad præfectos prouinciarum.

CAPVT VIII.

Dedit continuò literas ad præfectos & moderatores prouinciarum mandans reliquias defunctorum cædi; Non ætatis, non sexus ratio habita est; Cecidere vna literarum significatione circiter decem millia, plebs irata nullum in his trucidandis seuitiæ & crudelitatis genus omisit. Quod si in Aquitania vbi hoc malum latius serpserat parisiensium medicorum remedia tũ adhiberi potuissent. Idem annus ciuilium bellorum finem, & initium diuturnæ pacis attulisset: sed aliter cœlitibus visũ est seu propter quorundam piorum cum impijs fusum sanguinem

ſanguinem, ſeu aliam ob cauſam.

Aliquot eius egregie dicta.

CAPVT. IX.

Cum in militari via qua meldas itur ab equitatu rebellium circunueniretur, conuerſus ad legiones auxiliarium Heluetiorum inter cætera vocem illam edidit, *malo mori Rex quàm viuere captiuus.* Magiſtri equitum eſt enſem regi præferre, igitur Anneo Mótmorantio mortuo, vt ſupra demonſtratum eſt, honorem illum petentibus reſpondit, *ſatis virium ſibi eſſe ad geſtandum enſem nec alio auxilio indigere.* Regiæ familiæ magiſtro proditione hoſtium ſublato, cum id munus de mortui filio daret, & puerum eſſe quidam dicerent, *Seneſcet,* inquit.

Dicebat *eum qui ſemel regnum appetiſſet in ea libidine moriturum.* Contineri interdiu domi non poterat *ædificia vocans ſepulchra mortuorum.*

Vxor & filia.

CAPVT X.

Vxorem duxit Iſabellam Maximiliano Cæſare genitam, ex qua tulit cognominem matri filiam, cuius natali reorum ſuplicia auidè ſpectauit, ſub occaſum ſolis accendi faces iubens circa furcam, vt morientium ora certius viderent, adnotatum id fuit quaſi infauſtum & indecorum. *Reges enim crudeliorum ſupliciorum autores eſſe oportet quoties flagitia ſæuitiam poſcunt, ſpectatores verò minimè ne atrociora meditari conſueſcant.*

Sanctiones eius.

Capvt XI.

Sanctionum eius edictorúmque numerus iniri non potest. Necessaria sanctio illa visa est quam de anni ordinatione publicauit, nam cùm cæteræ gentes anni principiũ definiant à natali Christi, Galli à Paschate soli ordiebantur, quæ res turbabat mercatorum animos in solutionibus, & huius generis negotiis: Alia sanctione Tertulianum Senatusconsultum antiquauit, quia iniquum videbatur, fundos maiorum ad extraneos transire; & improbæ fœminæ quędam occasionem sanctioni dederunt, quæ liberorum mortem captasse arguebantur; Igitur intestato de cedẽtibus li-

beris matres non ſuccedunt vt bona eorum propria faciant, vſum fructum tamen eis ſanctio non ademit.

Symbolum Caroli.

CAPVT XII.

Miniſtri & ſerui regij Symbolum principis in veſte præferebant columnas duas ſic inſcriptas, pietate & iuſtitia, quibus rebus ſeu columnis magna imperia nituntur, videtur Michaël ſcrinij magiſter ex Claudij Ludo apud ſenecam Symboli occaſionem cepiſſe aut alius quicunque is fuit; extat enim apud eum autorem vox Auguſti. *Principes, pietate & iuſtitia deos fieri.* Porro vtramque virtutem coluit, pietatem ſane vſque adeo vt ſangui-

nis humani nimiũ fuderit, nã cum humanitate & clementia Caluinianos in officio contineri non posse animaduertisset, seueritaté induit, vocem illam ingeminans *quoties de reis ageretur pium eſſe, crudelitas eſt, crudelem, pietas.* Iustitiam autem nó æque coluit, coactus venalia omnia habere, vectigalia noua imponere, exigere tributa solito grauiora vnde exercitus aleret, & sumptus quotidianos ferre posset.

Seruus ab eo prædilectus.

CAPVT XIII.

Seruum vnum præcipue suspexit Albertum Gondium institoris Lugdunensis filium, à quo didicit numen deierare, hunc nobilissimis viris præferens in immensum

extulit, opibus, fauore, honoribus facturus maiorem si diutius vixisset; Tribunum equitum, qui honos in gallia maximus habetur, esse cũ voluit, præposuitque prouinciæ Massiliensium, & quibus optauit, rebus auxit: constat eum donatum à rege vno quinquennio sexcentis aureorum millibus.

Pædagogus, & nutrix.

CAPVT XIIII.

Amiotum pædagogum magni deinceps fecit, opulentis saçerdotijs primùm, mox Altissiodori ciuitatis episcopatu donátum; Lanij filius erat, Meloduno oppido ortus, excellenti ingenio, Latinè & Grecè doctissimus; Carolus magistrum eum appellabat, inter iocos auari-

tiam objiciens & ſordes quod linguis bubulis veſçeretur; Nutricem vero vnicè amauit, etſi Caluinianam, nec ab ea aliud vnquam petijt niſi vt ad ſanitatem rediret, quod & obtinuit; Si quidem Pariſiẽſi cæde territa anus ad ſacra maiorũ reuerſa eſt, regis ſanè precibus nõ minis: eidem petẽti pro ſe familiaque ſua nihil vnquam negauit.

Exercitia eius.

CAPVT XV.

Exercitia eius varia, ſaltare, pila ludere, equos incitare, eis ſoleas facere, aurigare vel quadriiugẽ optimè nouerat: Inſuper arma fabricare, fundere tormenta, piſcari, feras capere; venationis ſtudio ab ipſa pueritia flagrauit vſque ad inſaniã;

Interdiu vagari in ſiluis, noctuque ſolitus immemor cibi ſomnique, vt huic voluptati ſatisfaceret; de inſtrumentis venatorijs, & latibulis ferarum, arteque multiplici eas capiendi extat liber ab eo ſcriptus, quem in latinum ſermonem conuerti perito linguæ aulico mandauit. Hæc quotidiana belluarum inſectatio ſanguinarium eum reddebat in feras, nō in homines; Neminem enim manu occidit. At ſepe porcos mactauit cruentis manibus exta exerens quaſi laniariæ tabernæ ſeruus. Irruenti in mulum Lanſaci inter aulicos gratioſi: *Quod tibi*, inquit, *diſsidium cum mulo meo Chriſtianiſsime regum?*

Liberalitas eius.

CAPVT XVI.

Erga omne hominum genus liberalis fuit, ſepe dicens; *Regem in dando facilem eſſe oportere, populos quippe fluminibus ſimiles, pecunias ad Fiſcum ſeu ad Oceanum aquas, tranſmittere.*

Studium in cantu & Muſica.

CAPVT XVII.

Ex omnibus diſciplinis eam imprimis coluit quam Henricus parens exactè didicerat, Muſicam intelligo, ob cuius amorem cantores in pretio habuit, precipue eunuchum quendam cognomine Re-

gem; hunc non ſolum audiebat canentem, ſed ſæpe ipſe permixtus choro, vocem exercebat nactus canoram & grandem. Dedit & muſicis propter ſtipendium ſacerdotia magni prouentus, generis eius artifices libenter laudans.

Notarius Caroli.

CAPVT XVIII.

Literas pingere admodum didicit puer à Petro Ammone bleſenſi notariorum totius Europæ excellentiſſimo; idem ſignum quo in ſubſcribendis ſacris ſanctionibus vteretur, delineare docuerat: poſtea accuſatus religionis nouæ, Pariſiis à ſeruo publico ſtrangulatus eſt. Caſum artificis moleſtè tulit cedens inuidiæ temporum cum bella ciuilia

cogerent de amicis quoque ſupplicium ſumere.

Spectrum igneum.

CAPVT XIX.

Non multo ante nuptias ſuas cum venaretur in ſylua Leonenſi agri Rothomagenſis, obuium habuit ſpectrum igneum altitudine haſtæ, territi venatores diffugére; Rex intrepidus ſtricto enſe inſequitur ſolus donec fatuus ignis diſparuit. Narrabat ſibi ex fuga ſpectri iniectum metum & repetijſſe ex ſacro hymno quod à preceptore puer didiciſſet. *Deus adiutor meus ſis mihi in Deum adiutorem meum*: In eadem adamata ſylua, iecit fundamenta ſuperbæ villę, locus à ſitu *Caroli vallis* dicitur.

Facti species in qua ius violauit.

CAPVT XX.

Cum ab armis discessum esset post primum ciuile bellum, longo circuitu facto omnes Prouincias Regni sui lustrauit: Burdigalæ Vibiscorum Burnizellius vir potens Turrianum dolo malo occiderat; captiuus à Senatu damnatus est, Agnati tentata aulicorum gratia pœnam remitti à Carolo petebant; vidua Turriani rogata ab eo vt & ipsa damnato parceret, fortunarũ suarum quantũ vellet offerenti; *non faciam*, inquit, *quod iubes, sed quando gratia iure, & legibus potior est, da veniam huic infanti, quem propterea alam vt paterni percussoris sanguinem fundat.* Captiuus tamen dimissus violata iuris discipli-

na: quod ego commemorare volui vt fortis fœminę Romana vox nunquam intereat.

Oratio eius in Senatu.

CAPVT XXI.

In Senatu Parisiensi orationem habuit ad Patres, cuius prima parte laudauit matrem, prædicans se ei debere vitam & regnum. Altero capite pium erga se fratris animum commemorans; Deinde questus de corrupta legum, & iuris disciplina, deque cõtemptu sanctionum suarum; *vestrum est*, inquit, *parere sanctionibus meis, nec disputare quales sint, ego enim melius scio quid sit ex vsu regni, quidue deceat, quam vos.* Hæc imberbis dicebat in cœtu doctissimorum senum mirantibus cunctis à

quo talia didicisset. Carolus Lotharenus orationem illam scripserat plenam insolentium verborum & tyrannici spiritus.

Amasia Caroli.

CAPVT XXII.

Adamauit mariam Tochetiam Aurelianensis iudicis suppliciorũ filiam, prestanti forma, & venustate; ex qua tulit naturales duos filios. Hæc inspecta Isabellæ pictura risisse dicitur addito verbo; *Nil me terret Germana.* Sane Rex ipse inter moras longissimi morbi semel ad eam diuertit, suspitioque est auctum morbum ex importuno coitu, & acceleratum vitæ finem. Hanc matri commendare non est ausus; mandauit

tamen Carolo Gondio cubiculario vt verbis ſuis commendationem ei faceret, quod & ipſe fecit mortuo domino; ipſéque ex dolore amiſſi principis, & intempeſtiue abeuntis fortunæ, concepto morbo ſtatim perijt.

Afflictio ordinis Eccleſiaſtici.

CAPVT XXIII.

Incertum eſt vtri magis Eccleſiaſticum ordinem vexarint, Carolus, an Caluiniani: nam hi paucis Sacerdotibus occiſis templa ſpoliarunt preſentibus ornamentis; Ille ex conſecratis vaſis nummos fecit; Præfecturas Eccleſiaſticas & Monaſteria pueris, militibus, fœminis dono dedit. Decimas quaternas quandiu vixit exegit; latifundia diuini iuris non

pauca diſtraxit, coactis ex venditione illa vicies centenis aureorum millibus.

Studium eius artium liberalium.

CAPVT XXIV.

Grammaticam puer attigit, & lubenter amplectebatur literas; ſed vbi primùm Rex fuit omiſit hæc ſtudia doctrinæ, quaſi imperaturo contraria ex opinione Aulicorum, apud quos pulchrum eſt neſcire literas. Amauit eas tamen; itaque ad Pœticam pronus gallico ſermone verſus compoſuit: ex latinis pœtis dilexit Auratum, ex gallicis Ronſardum Vindocinenſem, & Baifium Lazari filium quos ſua pœmata recitantes libentiſſimè audiuit. Dabat & eis præmia, cæterum non magna, vt breui redirent, & aliquid, deficiente

ciente pecunia, meditari cogerentur, *Pœtas generosis equis similes esse dicens, quos nutrire, non saginare oporteat.*

Cibus, potus, somnus eius.
CAPVT XXV.

Cibi modice appetens quo vires reficerentur; vinum puer bibebat, nec dilutum, quidem; postea valetudinis causa potione illa sibi interdixit, frigida semper vsus, aut Hipocratico quod ex aqua, Zacharo, & Cynamomo. Somni breuissimi erat, nam plerumque ante mediam noctem in equo erat canes ciens aut aliud agens.

Prodigium precedens mortem.
CAPVT. XXVI.

Prodigium eius mortis fuit, exortus stellæ in concauo Mercurij, quod

ferè nunquam accidit, luminoſe quidem cæterum incrinitus fulſit, annum & dimidium. Rupella ſantonum obſidebatur: Theodorus Beza ſuper ea minaces verſus edidit Herodis nomine Carolum perſtringens.

Iſte nouus nullo feralis crine cometes,
Et radians puro quod nitet igne iubar.
Et quid portendat terris; Deus ille Deorum
Nouit, & oſtendent tempore fata ſuo.
Quod ſi humanæ aliquid poſſunt preſciſcere mentes
Talia ſcrutari, nec mihi ſigna, nefas.
Fallor ego, aut hic eſt Dauidis regreſſus in vrbem,
Duxit ab Eoo qui prius orbe ma-

gos.

Et quæ nascenti preluxit, nuntiat idem,

Euge redux reducem rursus adesse Deum.

Hunc igitur, felix, o turba applaude piorum;

Tu vero Herodes sanguinolente time.

Morbus Caroli.

CAPVT XXVII.

Incidit in morbum mense Octobri, 1573. sub profectionem Henrici fratris ad Regnum Poloniæ, ex dolore affecti pulmonis incognito medicis morbo; febri continua affligebatur, qua recedente Mazilius princeps medicorum Regem bene

habiturum. Auctus est ex metu insidiarum quæ bis paratæ sunt à Francisco fratre, & Henrico sororio Regnum appetentibus per cædem, & nefas: Item ex suspicione lenti & tabifici veneni, & deuotionibus maleficorum: Quas ob causas Cosmus & Nonius arioli Italici generis in carcerem rapti sunt, ministri fratris: Iosephus Bonifacius cognomento Mola, & Hannibal Coronassius cõscij coniurationis damnati fuerunt. Franciscus Montmorantius Annei filius in vincula ductus, adiũcto Arturo Cossa Andegauo, seu quod fratrem amassent, seu ne in posterum nocerent.

Sermones eius ante mortem.

CAPVT XXVIII.

Aliquot diebus ante mortem Curtius pictor imaginem Hẽrici fratris

ad Carolum tulit ſcientiſſime depi-ctam, quam & ego apud Curtium ante videram mandato Regis, venerat idcirco; contemplatus abſentis faciem O *bonifratris imaginẽ,* inquit, *quem vtinam à me nunquam dimiſiſſem.* Poſtea ingreſſus eſt in ſermone de parentibus & liberis, *fœlices eos predicans qui adultos reliquiſſent liberos, ſi quidem malle ſine herede excedere è vita, quàm regnum infanti multa paßuro: Galliam deformatam bellis ciuilibus viro opus habere.* Triduo ante mortem Catharina genitrix narrabat Gabrielem Montgomerin captum; hoc audito nuntio nullum letitiæ ſignum dabat; cui illa; *patris tui percuſſorem captum non gaudes?* reſpondit: *neque hoc ſibi curæ eſſe, neque vllum preterea negotium humanum:* quam vocem veluti inſtantis obitus prænuntiam mater accepit.

Mors eius & testamentum.

CAPVT XXIX.

Tertio calendas iunias 1574. die Pentecostes vocato Biraga Cancellario, & Fiza notario, presentibus Francisco fratre, Henrico sororio, Carolo Borbonio Cardinale, & cœtu Aulicorum; commemorata salicæ legis authoritate, & prerogatiua, Henricum fratrem præposuit Galliæ. Testamentum continuò Lutetiam ad Senatum perfertur; recitatum more maiorum patres probarunt; Franciscum monens, *ne turbaret ordinem, neu quid noui moliretur; Regna aut virtute, aut hereditate parari, Qui malis artibus ad ea aspirant, male perire; audiens matri esset, non defuturam obsequenti:* Eos simul, &

ministros omnes sacramento fiduciam facere Hérico Regi voluit. Hora tertia huius diei obijt in arce Vinçenarum prope Lutetiam Parisiorũ clarissimã vrbem anno vitę vicesimo quarto, subductis diebus octo & viginti: postero die corpus inspectũ est præsente Magistratu vrbis, liuores nulli intus reperti suspiçionem veneñi ademerunt, quod à fratre datum rumor erat. Regina toto Aprili & Maio filios veluti captiuos habuit ne fugerent, neue tumultus & seditiones excitarent: missis ad Henricum nuntijs de fratris obitu, qui equis publicis Cracouiam diebus tredeçim peruenere.

Statura & membra ipsius.
CAPVT XXX.

Statura fuit proçera, sed incurua,

facie pallida buxea ve, oculis ferociam ſpirantibus, naſo aquilino, oblungo collo, natura preceps fuit, impatiens moræ, iracundus, ferox, macilentus, non tamen credulus, memoria firma tenacique & cum vellet egregius ſimulator. Libidinis non adeò profuſæ: facundia clarus, & Iudicio acri: periurium ſermonis genus, non criminis putans, idcirco fidem violabat, quoties ex vſu videbatur, in priuatis colloquijs paſſim deierans.

FINIS.



SERMO GALLIÆ REGEM SALVTANTIS.

PAPYRIO MASSONO *auctore.*



Allia se omnis Majestati ad pedes projicit, & impetratâ dicendi copiâ, Salue, inquit, æternum patrię decus, Henrice Rex ad ornandam virtutem cœlo date, jámque virenti laureâ dignissime. Reuerso tibi quàm possum gratulor, nomen, numenque tuum adorans: at

vnde reuerſo? quas regiones, quos populos quanta celeritate, quàm fœliciter peruagato? Quod deceſſorum tuorum contigit nulli, ea qua nunc es ætate, Oceanum Tyrrhenum, Adriaticum nauigaſti: tranſgreſſus es altiſsimos Europę fluuios Rhenum, Danubium, Albim, Viſtulam, Padum, Rhodanumque. Cominus ſalutaſti Pyrenæos, & Gebennas Aquitaniam per medium ſecantes: Alpes verò ipſas quę Iulię, quęque Pœninę appellantur, & Italiam à Gallia diuidunt, ſecundiſsimo curſu ſuperaſti: Iam peragraſti Germaniam, Poloniam, Italiam, florentiſsimas Europę regiones, & in armis exercitatiſsimas. Ingreſſus es clariſsimas vrbes, Lutetiam, Cracouiam, Viennam, Venetias. Lutetię Carolus frater magnis te honoribus af-

fecit : Cracouiæ ſumpſiſti regium veſtitum , & diademate caput euinctus es: Viennę Cæſar te hoſpitem habuit : Venetijs reſpublica, quę regem Francorum in Marci templo nunquam viderat. Salue igitur Rex Gallię Polonięque ingens gloria, iterum ſalue, rara fœlicitate vno anno & abſenti & inopinanti tibi hęc duo regna obuenere, alterum ſuffragio, alterum lege. Scilicet vt in patria ſuccederes fratri, foris extraneo: hîc iuueni, illic ſeni. vtque in patriam reuerſus Polytropi cognomen meritò ferres, Vlyſsi olim datum, quòd mores hominum varios vrbéſque plurimas peregrè vidiſſet. Iſte autem aduentus tuus non mediocriter piorum animos recreat. Me quidem imprimis inteſtina meorum fatalíque inſania, & externa immanitate vaſtatam. Quouſque enim

hoc ciuile bellum, quousque famem, quousque direptiones, quousque incẽdia aspiciam, & filiorum sanguine imbuar infœlix parens? Henrice fili, idémque clementissime DOmine, adsis languenti, fer opem afflictæ patriæ: & quando mutare omnia in melius potes, quam abs te postulo pacem tribue. Pacem si subditis bona dederis, habebis fidelem & perpetuam: si malam, haud diuturnam. Quod si qui priuatas inimicitias reip. condonare nolent, aut ab armis discedere, seueritate in eos vtere, ne impunè tantos sibi spiritus tantámque arrogantiam sumpsisse videantur. Leges enim armis, arma legibus tueri oportet. Solon Atheniensis remp. dicebat præmio & pœnâ contineri. Hæ sunt columnæ, quibus regnantem niti oportet, vt ad rectè faciendum bonos præmijs al-

licias, rebelles metu pœnæ terreas. Tu qui magnum in re militari vſum habes, & qui hoſtium copias prælio ſæpe viciſti, erigere hoc regnum, ſi modò vis, potes. Nemo enim tecum ſine ſua pernicie contendet. Sola religionis diſſimilitudo paci obſtabit, quam omnino perire ex vſu eſt, dummodo vnà abuſus intercidat; nec gladio armíſve talia tam facilè quàm monitis purgantur. Itaq; ama literas, eruditos cole, da præfecturas & ſacerdotia non pueris, non fœminis, non belluis, ſed ijs quorum opera poteris errantes reducere in viam. Iuris etiam cuſtodem & vindicem te eſſe oportebit. Eſſe autem quî poteris, ſi magiſtratus fuerint venales? Qui emit, vendat neceſſe eſt, & quidem pluris quàm emit: tametſi numerum magis quàm emptionem horreo: jam enim plures

ſunt in ſingulis oppidis magiſtratus, quàm familiæ, quàm ædificia, quàm putei. Sunt etiam confertæ exactoribus prouinciæ tuæ: hi pecunias quotidie imperant: imperent igitur naturæ auri atque argenti fodinas, quas miſeri agricolę ad reſtinguendam Quęſtorum ſitim paratas habeāt. Et modum in tributis aliquem eſſe oportet, Chriſtianiſſime Rex, ne ſubditi tui liberorum vitam in ſolutum dare cogantur. Nam qui aufert aratori bouem, aut equum, aut aratrum, occidit patrem-familias, & vagientes in cunis puerulos necat. Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. Hęc Tyberij vox eſt, qui Chriſtianus non fuit, imò qui magis Chriſtianus fuit, quàm ij, per quos efficitur vt agricola nequeat viuere, ſimul & tributum pendere. Sequitur exactorem miles, ad prędam,

quàm ad pugnam melior, à quo paterfamilias vitam ſuam, & vxoris filiarúmque pudicitiam redimere cogitur. Majorem infligere ſecurim hoſtis non ſolet, etſi ad nocendum venit, quàm delectę ad ſeruandos ciues copiæ. Quid faciat paganus circumfuſus milite, ab exactore obſeſſus, preſſus inedia, nec peculij dominus, nec compos ſui? Ergo diſcat miles parêre imperio tuo, aut mori: & cùm ſtipendium acceperit, nec ſui, nec alieni furtum facere audeat. Diſcant & nobiles, ſi genus amant, virtutem colere, nam vitia magis quàm timor, degeneres arguunt, ſic vt vitiorum magiſtri genus ſibi decorum eſſe fruſtra glorientur. Ditiſſima prouinciarum fui Gallia, & futura ſum diues, ſi opulenta pace floruero: ſi filij mei in gratiam redierint: ſi peregrinæ religiones, ſi abuſus in exilium

mittantur. Pereant qui inter alumnos meos dissidium volunt. Tu Henrice, qui dicendi veniam dedisti, da veniam nimium liberæ orationi meæ, nec me locutam puta, sed dolorem qui tacere nescit.





PETRI PITHOEI I.C. ELOGIVM.

PAPYRIO MASSONO Aduocato in Regia auctore.



GENTEM Pithœorum in Lugdunensi secunda apud Viromense castrum olim consedisse, acta publica, exceptorésque fidem faciunt. Eam quidem non imbelli otio deditam, sed militaribus studijs florentem (equo enim merebat) atque illustrem fuisse argumento erit Guillelmus vnus

ex maioribus Petri illius, de quo pauca è multis, & breuissima ex amplissimis dicturi hoc elogio sumus: vt qui illud legerint, adhuc sitientes ab eo recedant. Hic enim anno à partu Virginis M. CCLXXII. in albo Viromensium militum secundus inscriptus est, noménque dedit sacræ militiæ quæ in Syriam & Palestinam pietatis causâ mittebatur: adeò vt conferatur huic nemo præter vnum, cęteri vix pares putari possint, quia post illum omnes vno ordine descripti sunt in actis Rationalium, quæ ego antiquitatis curiosus priùs videre, quàm de his scribere malui. Ab illo profectus longa serie Æmilius in Campaniam Belgicam se contulit, more iuuenum Normanicæ gentis, apud quos minòres filij primogenitis cedunt paternas atque auitas opes iure municipali possi-

dentibus, soléntque relicta patria alienas sedes ac terras petere. Æmilij autem filius fuit Andreas, nepos Petrus, pronepos Petrus spectatæ inter suos notæque nobilitatis. Natus est apud Eruium vicum agri Tricassini. Tricassium vrbs penè interluitur Sequanâ notissimo flumine Galliæ maximéque nauigabili, in quam vrbem relicto natali solo adolescens se recipit, vt esset illic domicilium rerum ac fortunarum suarum, abdicato militari & gentili maiorum suorum studio, conuersóque ingenio ad Mineruæ Palladísue artes, quas assiduitate & diligentia, laboréque penè incredibili sibi comparauit, vt doctissimus totius Campaniæ, nec immeritò sit habitus, præsertim in Iure ciuili ac municipali, fuerítque instar oraculi omnibus illustribus familijs illius prouinciæ, & à consilio in re-

bus agendis, diſceptandíſque controuerſijs. Hanc parto nominis famam Baſina prima vxor eius, geminos vno partu edidit, Ioannem, & Nicolaum, qui ſeptuageſimum-tertium ætatis annum nunc agunt, quod memorabile profectò excellentibus medicis ſemper viſum eſt. Secunda fuit Bonauentura de Chãtaloe nobili genere, filia Roberti Scutiferi dominíque Bairæ, ex qua genuit quatuor mares, totidémque feminas. Marium maximus natu fuit Petrus, cognomento non tam Pithœus quàm Pithius. Ego enim à Græca voce Deæ Pithus nomen illi eſſe ſuſpicor. Natus autem eſt kalendis Nouembrib. anno M. D. XXXIX. quod ipſe in diarium manu ſua ſcriptum retulit, epigrammate ad Gregorium XIII. Rom. Pontif. de ea re feſtiuè & hilariter ſcripto in hunc modum:

Nouembres quondam mihi quæ natale Kalendas,
Inferijs manes queis pia cura luit,
Martini festo mutãs vinalibus olim,
Quid nisi me lætum viuere Papa iubes?
Te quoque, sancte pater, lætis Deus augeat annis,
Vtque hilares longos & velit esse dies.

Ac ne cui hoc epigramma difficile atque obscurum videri possit, Gregorius decem primos dies mẽsi Nouembri detrahi iussit, vt Martini dies festus Kalendas Nouembres efficere videretur. In tenera quidem ætate Petrus tam viuaci, vt ita dicam, ingenio fuit, vt corpusculum illi sæpe parere & seruire cogeretur. Accidit verò vt cadens in fronte læderetur, cicatricémque testem vulneris omni deinceps vita tulit: quam ob causam

planè puerulo, ne dicam infanti, custos datus eſt, metu ne quid ſimile illi in poſterum contingeret: cuſtos (inquam) paulò prouectior ætate, viribúſque firmior, cui Reperto nomen inditum, quod ignotus & ad fores Pithœorum eleemoſinam petens domum introductus eſſet. In pueritia peridoneum præceptorem habuit eccleſiaſtici ordinis virum Franciſcum Pilotem, à quo in patria didicit Latinè legere, Græcè, necnon Hebraicè. Poſtea ad collegium Tricaſſinum ire iuſſus eſt, vbi humaniores literas perdiſcere cœpit. Cùmque viderent pręceptor & chariſſimus parens illum eſſe magni ingenij, nec minùs Græcè, quàm Latinè doctum, pręterea comi facilíque natura, dignus vtrique viſus eſt qui Lutetiam mitteretur ad Petrum Gallandium, & Adrianum Turnebum,

illis temporibus eloquentiæ ac Philosophię Professores. Vtrumque coluit familiarissimè, verba & figuras eorum solitus colligere, & sibi nihil aliud suadere, quàm vt noto, ciuilíque & proprio sermone vteretur. Exin reuocatus domum à patre, vt ad studia Iuris ciuilis profisceretur, non aliud ei tam religiosè à patre pręceptum est, quàm vt Iurisconsultorum textus & verba ipsa perdisceret, nec glosas, nec Doctorum vllos commentarios legeret, contentus viua voce docentium, quę magis afficit, datis ei Pandectis Haloandri cura excusis, & paterna manu ad veterum codicum manuscriptorum collationem emendatis. Id Petrus tanta cura secutus est, morem optimo patri gerens, vt verba ipsa Iurisconsultorum omni deinceps vita in proptu habuerit. Antecessorem ve-

rò nactus est Iacobum Cuiacium magni nominis virum, qui illum quanti fecerit scripta ostendunt, in quibus hęc reperio: *Petrus Pithœus Trecensis, adolescens probus & doctus, & Iuris disciplinæ apprimè studiosus.* Et alio loco, eundem vocat virum felicissimi & acutissimi ingenij. Alibi, virum studiósum, & omnium bonarum disciplinarum alumnum felicissimum: nec vsquam de illo nisi honorificè loquitur, doctrinę, iudicij, & probitatis eius se testem vltrò constituens. Quę omnia pręfatione ad Codicem Theodosianum multò apertiùs declarat, hac formula orationis vsus, *Petrus Pithœus ille qui ostensus à me sæpius, & ipse tandem monumentis suis ita se palàm ostendit literatis, legúmque consultis omnibus, vt digitum ego tantùm ad eum intendisse, non totum hominem quantus erat*

erat hominibus patefecisse videar. Nec erit quid secus de Francisco Pithœo fratre, in quo efflorescunt iam ingenij & doctrinæ laudes maximæ, vt planè memoria repetens & illas quibus excelluit in omni genere bonarum litterarum pater V.C. & filijs talibus dignissimus, eam familiam seminarium esse doctorum virorum mihi liquido argumento persuadere possim. Tanti denique Petrum fecit Cuiacius, vt cùm illi esset de Iuris interpretatione contentio contra suæ eruditionis doctrinæque æmulum, vterque iudices vel Roaldesium, vel Petrum Fabrũ, vel Pithœos asciscere paratus fuerit. Hactenus Cuiacius de gente Pithœorum nunc penè extincta, cùm illi gemini consanguinei fratres, de quibus suprà diximus, & Franciscus, sine liberis & ipse suscipiendi adhuc superstites viuant. Apud Turnebum

quoque hæc de illo legimus: *Petrus Pithœus omni liberali eruditione ornatus, & antiquitatis ignoratæ quaſi Pithius alter enarrator, & illuſtrator maximus*. Quin iuſtus Lipſius, cui Philologi appellationem tribuo, ſicut Eratoſtheni, qui primus hoc cognomen ſibi vendicauit ob multiplicem variámque doctrinam, quadam ad eum epiſtola: *Ignotum*, inquit, *& inuiſum te amo, & amaui iam tum ex quo ſcripta tua lego, notas elegantiſsimi ingenij & exquiſitæ doctrinæ*. Cuiacium autem à Biturigibus Valentiam Cauarum interpretandi iuris cauſa profectum, Petrus ſecutus eſt: in qua vrbe ſicut Biturigis fecerat, interdiu Doctorem illum attentiſſimus audiebat, noctu verò penè inſomnis, vigil, & ſtudioſiſſimus naturâ noctes penè integras traducebat, vſque adeò illi innatum

erat sub clientela Musarum longiorem famam, quàm vitam quærere. Cúmque Cuiacium & iuris fontes penitus exhausisset, Lutetiam rediijt, Senatúmque Parisiorum ingressus est, ceu arenam litigantium, anno M. D. LX. vbi vnam tantùm controuersiam, seu litem, publicè agitandam suscepit, specimen ingenij sui præberet. Victoria forensi domum statim relata, quæ inanis & vana sæpe gloria est, sed strepitum forensem non ferens, laboriosis huiusmodi exercitationibus abstinere in reliquum tempus, optimum sibi & Musis constituit, solas amicorum & familiarium causas in vmbra atque otio tractans. Nec quicquam scripsit, consuluítue litigantibus, quod non elaboratum, certúmque esset, honoris sui magis quàm quæstus rationem habens: cùm aduocati ple-

runque secus faciant, turpi lucro victi superatíque pecunia. Exortis ciuilibus bellis, huic regno planè funestis, Lutetia discessit, non classicum & arma, sed quietem quærens, scripsitque hoc epigramma ad libros suos in vrbe relictos.

Et perij per vos, & vos perijstis amores:
Vna salus nobis, vna ruina fuit.
Si qua tamen vitæ spes est, hoc deprecor vnum:
Viuite apud gratos, gratus ego interearn.

Reuersus demum, atque iterum amplexus forum & studia doctrinę, incredibili eruditorum virorum lætitia exceptus est, qui certatim illi vt vxorem duceret & cupidè persuadebant. Ijs bene monentibus duxit Catharinam Palludellam Ioannis Regij Scribæ Notariíue filiam, ex

qua mares quatuor habuit in pueritia mortuos, quorũ obitum modestè tulit: etsi humanum est eiusmodi damna grauiter ferre, patíque. Tum verò multò plures quàm vnquam antea illum adibant, fiebátque concursus litigantium ad ędes eius, quòd controuersias litésque dubias prudenter, & cum ingenuá probitate dirimere existimaretur, vt plerique cognomen illi sapientis Arbitri meritò deferendum putarent. Qua in re pietatem suam manifestis indicijs ostendit, quæstum & lucrum quodcunque festis diebus obtigisset, mendicis vltrò distribuens. Interim veterum scriptorum monumenta aliquot in lucem dedit, vt Reipublicæ prodesset: nec minùs præfationes à se præfixas ob eruditionem probari sensit, quàm libros ipsos tanta cura quęsitos. Dum hæc facit, Henricus

III. Galliarum Rex missurus in Aquitaniam è senatu Parisiensi aliquot Consiliarios suos Iuris dicundi causâ, idoneum ad eam rem quærens, qui regio nomine publica negotia procuraret, Pithœum deligit: quo in magistratu virum sese & quidem probum ostendit, ac tanta prudentia & honestate pręditum, vt Aquitania tota mortem eius diu luctura videatur. Hoc munere functus biennio & quod excurrit, domum redijt, priuatámque absque magistratu vitam egit, quam idcirco beatiorem puto. Et quidem multò magis quàm vnquam in ore esse omni populo cœpit, super grauioribus dubiísque negotijs consilium ab eo petere cupienti, sæpéque ex Italia lites dirimendæ ad eum missæ sunt. Mortuo autem Henrico, cùm omnis Gallia dirum incendium patere-

tur, maluit Lutetiæ ſe continere quàm peregre, conſeruandæ bibliothecę ſuæ cauſa, cum qua mori optabat, vt illâ viueret. Rarò tamen & non niſi palliatus veniebat in forum, inter priuatos parietes domìque ſolatium ex lectione librorum ſuorum capiens, veteréſque Galliæ Synodos quas plurimas habebat, exſcribi & in mundum redigi diligentiſſimè procurans, quod opus abſolutum reliquit, ídque theſaurum Galliæ appellare placet. Nuſquam enim alibi tot opes, tótque gemmę in vnum coaceruatæ congeſtæqne ſunt. Imò vt tempus falleret, depelleretque præſentem animi triſtitiam, mathematicis diſciplinis operam dedit Monantholio docente, qui inter Profeſſores regios illarum periſſimus habebatur. Poſtremò barbaris Lutetia eiectis, vbi in præſidio

erant, perfunctus aliquandiu amplissimo Procuratoris generalis in Senatu munere, cósuetum fori exercitium tandiu intermissum repetijt, fuítque litium ac negotiorum multitudine occupatissimus, vsque ad id tempus, quo imminentem grassantémq; pestem in Cãpaniam agrúmque Tricassinum secedendum necessariò illi fuit, & vxori filiabúsque suis, quas duas tantùm superstites habebat, Aloysiam, & Mariam. In illo propter repentinum discessum molli vt videbatur otio, excudi curauit Æsopi fabulas, Iambico senario versu elegantissimè scriptas à Phędro Augusti Tiberiíque Cęsarum liberto, quę nondum lucem viderant: necnon Hilarij Pictauiensium Episcopi Opus historicum de calamitatibus diui Athanasij, & Liberij Romani Pontificis. Cæterùm vt tertianę

tianę febri, in quam inciderat mederetur, ex amœnissima villa quam incolebat, Nongentum ad Sequanam se conferre coactus est procurandæ valetudinis gratiâ: vbi febri illa in continuam versa, iudicauit se natali suo die moriturum, atque ita accidit. Kalendis enim Nouembribus anno M. D. XCVI. excessit è vita, dignissimus longiore ac diuturniore, si fata virtutes hominum ponderarét. Verùm ita res habet, vt mors, quasi messoria falx segetes, sic probos atque improbos pro arbitratu, iuuenésque ac senes metat. Die verò natali exemptum esse rebus humanis id illi commune fuit cum Attalo, Platone, Mario, Pompeio, Gregorio I. qui omnes, vt literarum monumentis proditum est, eo ipso die quo nati fuerant recurrente, fato functi sunt. Testamentum qui-

dem scribere conatus vrgente morbo absoluere non potuit: bibliothecæ tamen suæ memor, illam aut retineri integram, aut vni tantùm vendi iussit, eique digno, ne margaritas porcis exponeret. Habebat enim plurimos exquisitissimos codices tam excusos quàm manuscriptos in omni genere disciplinæ, quos mira felicitate suos fecerat, partim dono familiarium & amicorum, partim emptione & pecunia sua. Elatus verò est tanto omnium mœrore, vt eius funeri, quod prosequutus est Ordo, Populúsque Tricassinus, publicas faces decreuerit; ac sepultus in côditorio maiorum ad ædem D. Francisci Tricassium, vbi mandauerat, locum Epitaphij indicans suis paulò ante mortem, breuique moriturum se dicens, quòd parens anno ætatis suæ LVII. decessisset. Sta-

tura fuit admodum procera, facie paululum rubida, capillicio & oculorum pupillis nigris, seductísque & concauis, crasso & spisso supercilio, manibus pedibúsque oblongis, tibijs tamen gracilibus, vultu vt videbatur ad seueritatem quidem cõposito, cùm humanissimus esset & facili natura, exigui & rari sermonis, à quo veritas aut rarò, aut nunquam abesset. Principum aulas nunquam affectatus est, eásque impedimenta atque obices eruditionis appellans. Quominus miror ipsum qui dignissimus erat publico magistratu & quidem maximo, quíque notissimus erat togatorum genti, & aulicis proceribus ob eruditionem virtutésque egregias, posthabitum: nec cõmedatione cuiusquam illorum persuasum optimis Regibus nostris, qui nosse ignotorum sibi virtutes &

ornamenta nequeunt, vt illum ad ſingulare aliquod in Rep. munus promouerent, vbi qualis quantúſque foret apertiſsimè iudicaretur. Magiſtratus enim virum oſtendit. Sed ita res habet. Plerique virtutem dum præſens eſt abſentem exulémque velint, ſublatam ex oculis cupidè laudant, vt eam deſiderare videãtur, & in efferendis mortuorum virtutibus ſunt prodigi verborum, vt probare videantur ea quæ oderunt: eóque ventum eſt, vt de illuſtribus viris ſi mortui fuerint, dicatur illud Caracallæ, *Sint diui, modò ne ſint viui*: Vſque adeò præſentiam virtutis ignauia efferre non poteſt. Librorum autem quos edidit, alios ipſe quidem Gallico ſermone compoſuit, vt de Comitibus Campaniæ Belgicę, De conſtitutionibus Regum Galliæ tempore peſtiferi ſchiſ-

matis, De priuilegijs & libertate Ecclesiæ Gallicanæ: Alios Latino, cujusmodi sunt duo Aduersariorum quos publicauit anno ætatis vicesimo quarto, & paulò antè mortem de Latinis interpretibus bibliorum, De processione Spiritus sancti, & Comitem Theologum de precibus Christianis. Ex veteribus præter eos quos suprà attigimus, Calphurnij declamationes iunxit Quintiliani, vt videtur, aui M. Fabij, iam publicatis ab Ærodio Andegauensi præclarissimis declamationibus, quas doctissima prefatione illustriores Pithœus reddidit. Simul opera aliquot Theologorum nostratium Vincentij Lirinensis, Phœbadij Aginensis, Fausti Regiorum, & Saluiani Massiliensis emendatiora reddidit: & ad hunc quidem præfatione vtitur meo iudicio eruditionis doctrinæque pleniss-

ſima: quo in genere præfandi mirabilis artifex ſemper habitus eſt. Inſuper Petronij Arbitri Satyram ex manuſcriptis codicibus & auxiſſe & emendaſſe videtur, Poëmatiáque vetera in vnum corpus collecta exhibuit, Pauli Aquilegienſis hiſtoriam ex Georgio & Theophane Græcis ſcriptoribus primus etiam produxit, & veteris Iuriſconſulti collationem legum Moſis & ciuilium doctiſſimis notis ſuis illuſtratam. Nec minorem laudem feret ex Legibus VViſigothorum, Chronico Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, Capitulis Karoli Magni, & Ludouici Pij Regum & Impp. Francorum, & ex duobus voluminibus veterum ſcriptorum Fráciæ hiſtoriæ à Pipino ad Philippum IV. cognomento Pulchrum feliciter perductæ. Omnes denique magni viri huius ætatis, honorificam

de eo mentionem in libris ſuis faciunt; ac ex his quidam labores ſuos & ſcripta ipſi & Franciſco fratri, tanquam Galliæ luminibus, inſcribunt. Vt cæteros prætercam, Iulius Cæſar Scaliger Aginnenſium decus, omnium diſciplinarum peritus, Lipſius & cæteri philologi, magnúſque ille ſcriptor Cæſar Baronius, quem Clemens VIII. Rom. Pontifex propter excellétem doctrinam Cardinalem nuper deſignauit. Mentis autem ſuę teſtationem ingenuam ſimul & admirationi poſteris futuram multò ante mortem Pithœus ſcripſit, ſimúlque egregium epitaphium ſibi & vxori viuus condidit, & Franciſcus frater adhuc ſuperſtes aliud non minus elegans piumque, hac verborum formulâ.

In nomine Domini, Amen.



Oribus valde corruptis ac prauis, ſeculo infeliciſſimo, quantum in me fuit, fidem ſeruaui.

Amicos ex animo amaui & colui. Inimicos benefactis vincere, aut contemnere, quàm vlciſci malui.

Coniugem vt meipſum habui. Liberis parum indulſi. Famulis vt hominibus vſus ſum.

Vitia ſic odi, etiam in meis, vt virtutes in externis vel hoſtibus veneratus ſim.

Priuatæ rei ſeruandæ potiùs quàm augendæ operam dedi.

Quod mihi fieri nolui, alteri vix vnquam feci, aut fieri paſſus ſum.

Iniuſtam aut difficilem gratiam vt venalem ſpreui.

Sacer-

Sordes & auaritiam in omnibus præcipuè verò in Religionis ac Iustitiæ, sacerdotibus & ministris execratus sũ.

Puer, iuuenis, vir, senectuti multum detuli.

Patriam vnicè dilexi.

Opus potiùs quàm honores, aut magistratum amaui: ac prodesse quàm præesse malui.

Priuatus vltrò Publico studui: Ei nihil prætuli, atque in commune consulere, potius, tutiúsque semper existimaui.

Statum publicum laborantem prudenter sanari, emendarique optaui. Peruerti, immutari, nouari, aut perturbari penitus nunquam cupiui.

Pacem vel iniustam, quod bona omnium bonorum veniâ dixerim, ciuilibus discordijs bellóque potiorem putaui.

Pietatis & Religionis sacrosancta nomina, ambitioni atque auaritiæ, sce-

leribúsque prætexi & obtendi, grauius tuli.

Melioris Antiquitatis non indiligens quæsitor, admirator & cultor, nouitates facilè insuper habui.

Quæstiones vanas disputationésq; subtiliores de ijs quæ ad Deum pertinent, vt noxias odi, ac fugi.

Simplicitatem prudentia aliqua conditam & septam, astutia & calliditate tutiorem feliciorémque sæpius expertus sum.

Rectè de rebus iudicandis studium, eloquentiæ artibus pretuli.

Procul ambitu atque auaritia, inuidiáque inter amicos plures ac bonos potentésque, fortuna non planè infima, sollicitius aliquanto vixi, quàm priuatum fortaßis decuit: de publicis tamen & amicorum rebus magis quàm de proprijs cogitans.

Nullum duxi gratiorem diem, quàm

quo publico, aut amicis adesse, aut prodesse datum est.

Mala præsentia quàm metu impendentium fortius tuli: Extremáque facilius quàm dubia.

Recta, sincera, æquabili atque constanti inter omnes Iustitiæ administratione, etiam clarissimis atque audacissimis os occludi, manus obligari, vidi, expertus sum.

De patrimonio ac bonis meis, quantulacūque illa post mortem meam erunt, legibus potiùs quàm mihi iudicium permisi, permittóque.

Vnum opto & spero, vt quem in me animum charissimæ ac probissimæ cõiugis integrum viuus expertus sum, eundem in communibus liberis educandis, tuendis, curandísque gerat.

Sit hæc apud posteros testatio mentis meæ, quam ab illis sic candidè accipi velim, vt simpliciter & ingenuè exani-

mi mei ſententia à me prolata eſt.

Veni Domine, & miſerere.

Petrus Pithœus ſcripſi Kal. Nouembris, Natali quondam meo die Lutetiæ Pariſ. anno Chriſti.
D. N. CIƆ IƆ LXXXVII.

Pro titulo, Tumulo inſcribi cupio.

PETRI. PITHOEI. P. F. I.C. BENE
DE SVA, BENE DE POSTERA
AETATE MERITI, CORPVS,
MAIORVM, SEPVLCHRO CON-
DITVM, RESVRRECTIONEM.
ET IMMORTALITATEM HIC
EXPECTAT.
R. I. P.

DEPOSITVM EST.

KATHARINA. PALLVDELLA.
CONIVX AMANTISS. CON-
IVGI AMANTISS. ET.
LODOICA, AC MARIA
FILIAE, CHARISS.
PATRI OBSER-
VANDISS.

PITHOVS hîc jaceo, mecum & charißima coniux,
Sic compar vita, compare morte fruor.
Improbe quid rides? casti sacra nescis amoris:
Nil non, vel cineres, hac comite esse iuuat.

Ex alia parte.

Sint inscripta licet titulo duo nomina, duplex
Vtque oculis teneat corpora sarcophagus:
Vnum & idem, ac totum tamen est: nam mutua præstant,
Dimidiúmque alij, dimidiúmque sibi.

PETRO. PITHOEO. P. F. TRICAS-
SINO. SAVODIAE DOMINO.
NOBILITATE. ACTIBVSQVE
AD EXEMPLVM PRAECIPVO.
ADVOCATO. IVRISCONSVL-
TO. MAXIMO. EA AEQVITATE.
ARBITRO. VT. INTER. OMNES
QVI. AD EVM. ANIMO LITI-
GANTIS. INTRASSENT PAREN-
TEM. SE. MAGIS. HIS QVAM.
IVDICEM. PRAEBVERIT. PE-
TITV BONORVM. TESTMO-
NIO. SENATVS. IVDICIO RE-
GVM. PER. PROVINCIAM.
AQITANIC. ET ITERVM. LV-
TETIAE PARISIOR. DIFFI-
CILLIMIS. TEMPORIBVS PER-
FVNCTO PROCVRATORIS. GENE-
RALIS. OFFICIO LICET. EGRE-
GIA. EIVS. IN. REM. PVBLI-
CAM. MERITA. ET. IPSIVS.
SCRIPTA. VETERVMVE AV-
CTORVM. MONVMENTA. AB.
ILLO. IN. LVCEM. PRIMVM.
DATA. AVT. RESTITVTA AT-
QVE DOCTORVM. OMNIVM.
PERVVLGATA. DE. EODEM.
TESTIMONIA. AD. MEMO-
RIAM. SEMPITERNAM. SVF-
FICIANT. ATTAMEN. FIDELIS-
SIMAE. DEVOTIONIS GRA-
TIA. ET. PRO. SINGVLARI.
CIRCA. EVM. AMORE.

FRATRI. PIISSIMO. ATQVE INCOMPARABILI. FRANCISCVS PITHOEVS. BONA. PIAQ. MENTE.

M. P.

VIXIT. ANNOS. LVII.

OBIIT. NATALI. SVO. MAGNORVM. VIRORVM. FATO. KAL NOVEMB.

CIↃ IↃ XCVI.

R. I. P.